



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 18. An est Simonia saltem mentalis suscipere Ordines, ut Beneficium
obtineatur, saltem principaliter ob ejus redditus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

tratum, propter quod ille esset Beneficio privandus; & tunc dare pretium ad removendum illud impedimentum esset simonia, quia pretio temporali emeretur conservatio rei spiritualis.

Resp. IV. Semper est simoniacum dare spirituale ad redimendam vexationem injustam, etiam post obtentum Beneficium; item dare Beneficium cum pacto, ne is, cui datur, in posterum vexet, vel noceat etiam injuste: quia tunc spirituale datur pro temporali commodo, seu in compensationem mali temporalis vitandi, quæ est quid de se pretio æstimabile.

Q. 18. An est simonia saltem mentalis suscipere Ordines, ut Beneficium obtineatur saltem principaliter ob ejus redditus?

Resp. Aff. Quia 1. is re spirituali viam sibi parat ad bonum temporale principaliter intentum; & ipsum spirituale ut medium ad obtinendum temporale principaliter refert: atque ita suo agendi modo temporale spirituali æquiparat, aut etiam præfert. 2. Ex Synodo Excestriensi Anno 1287. can. 8. *Ad propriam recurrant conscientiam, quo fine ad Ordines aspirent, an ut Deo & Ecclesie virtuosius & gratiosius famulentur, non pro temporali questu, nec Beneficiis à suis ordinatorebus extor-*
quen.

quendis, quoniam tales simoniacos reputamus. Unde Fagnan. in cap. ad nostram de Elect. ait: Clericum, qui Ordines suscipit, ut Beneficium consequatur, simoniam committere mentalem, quæ non obligat ad Beneficii dimissionem, sed tantum modo ad satisfaciendum Deo per pœnitentiam, nisi pactum præcesserit.

Q. 19. An licet dare, vel promittere aliquid temporale alteri, ut faciat aliquod opus salutare in suam utilitatem, v. g. suscipiat Sacramenta, audiat Sacrum? &c.

Resp. I. Licet dare aliquid temporale absolutè alteri, petendo ab illo, ut aliquid spirituale faciat in bonum animæ suæ, modo nulla imponatur obligatio illud faciendi: quia tunc est solum donatio liberalis, facta ad alliciendum alterum ad bonum opus, sine obligatione mutua & pacto oneroso. Item licet aliquid promittere sub conditione, si feceris hoc opus bonum, intendendo spirituale bonum operantis, & se obligando ad standum promissis, impletà conditione, & non aliter, modo nulli alteri oriatur obligatio, ex cap. 2. de condit. ubi approbatur concessio libertatis facta seruo eâ conditione, ut Monachus fieret, & non aliter. Nam ibi nulla est Simonia, sed est precisè quædam optio, quæ alteri gra.